

Beiheft

2

S 99

1147.

Bischof Werner von Münster schenkt dem Kloster Varlar einen Zehnten in
Nichterth bei Süldlohn. 17 98

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Tempora praetereunt more
fluentis aquae. Quoniam igitur rerum in tempore gestarum maxime per

revelationem scripturarum noticia fit posteris, operae precium duximus, 99
quaedam nostri temporis gesta fidelium ad noticiam quoque futurorum per
scripturae significare testimonium. Notum sit igitur omnibus fidelibus tam
praesentibus quam futuris, quod ego Warnerus, Mimmigardevordensis ecclesiae
humilis minister, in memoriam praedecessorum meorum, ob remedium etiam
peccatorum meorum, tradidi ecclesiae Varlariensi decimam quandam sitam in
Nichterthune, quam quidam Rudimardus de Wallenchorn longo in tempore
beneficiali jure possidens voluntarie in me resignavit. Praeterea etiam
sciendum est, quod domum quandam Gochlo cum omnibus appendiciis et
manciipiis et mansum unum Bucesberg et mansum in Delden, qui fuerant
Hezelini cuiusdam ministerialis nostri, qui se cum uxore et filio eidem
ecclesiae obtulit, ipso rogante contradidi. Hanc igitur scedulam super hoc
facto conscriptam sigilli mei impressione insignivi. Si quis autem de his
quippiam demperit vel immutaverit, maledictionibus superiorum et inferiorum
subiaceat. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis M^oC^oXLVII, in-
dictione decima, residente Romanae sedi venerabili pontifice Eugenio 3^{to},
regnante gloriosissimo Romanorum rege Conrado 2^{do}. Hi autem sunt testes:
dominus Henricus praepositus maioris ecclesiae et Engelbertus praepositus,
dominus Albertus decanus et dominus Fredericus custos et Godefridus celle-
rarius, Lambertus scholasticus, Harhtwichus (?) et Engelbertus, Godeschalcus
advocatus, Henricus maioris ecclesiae, Theodoricus de Gemene commisteriales,
Bernardus, Wulfhardus, Luthbertus de Nichterlohne, Luitgerus, Schweterus,
Geltmarus et Bertramus, Godeschalcus de Billerbecke.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 44.